

40
natisitas sequuti sunt Pseudo-Apostolici, de quibus *S. Bernardus serm. 66. in Cant. Cant.* Pseudo-Apostolicos Waldenses. Waldensium errorem avidè exceperunt Anabaptistæ; sed jampridem avidius exceperunt Wiclefitæ, & Hussitæ, qui Sacramentorum Ministros, ut valide Sacramenta conficerent, de Prædestinatorum numero esse debere contendebant; hinc injustos & peccatores a Sacramentorum administratione repellabant. *Si Episcopus*, verba sunt Wiclefi art. 4. *Si Episcopus, vel Sacerdos est in mortali peccato, non conficit, non ordinat, non baptizat, non consecrat.* Et Joannes Hus de decimis: *Quid ergo mirum, si ad bonum sensum conceditur, quod nullus existens in peccato mortali est Episcopus, Sacerdos, vel Christianus? Patet, verum esse articulum. Si Episcopus, vel Sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non baptizat.* Tandem antiquum errorem recentiores Novatores adoptare non dubitarunt: inter ceteros *Picardi, Gaspar Svenckfeldius, alique.*

§. VI. Atque hæc sunt, quæ Hæretici, omnium mortalium deterrimi, circa intentionem, fidem, & sanctitatem Ministri Sacramentorum vociferantur; nostra nunc magni interest, enumerata Hæreticorum deliramenta, quibus Catholicam fidem evertere conantur, breviter explodere.

PROPOSITIO PRIMA.

Necessitas intentionis in Ministro Sacramentorum, ad valide Sacramenta conficienda, adversus Marcum Antonium de Dominis, Catholicæ Ecclesiæ turpissimum defertorem, adstruitur.

§. VII. *Lucæ 22.* Christus, Apostolos ad Sacerdotii dignitatem & ordinem promovere volens, sic illos alloquutus est: *Hoc facite in meam commemorationem. Jo. 20.* potestatem absolvendi, & retinendi peccata conferens Apostolis, eorumque Successoribus, in illorum persona dixit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Tandem *Matth. ult. v. 19.* *Euntes, inquit, docte omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spi-*